perationis dici posse scripturarum cognoscimus auctoritate. Est
et principium artis ars ipsa ex qua artificium diversorum deinceps cepit
operatio. Est et principium bonorum operum finis optimus. ut misericordiae
principium est deo placere quod facias. Haec enim ad conferendum hominibus
subsidium maxime provocamur. Est et virtus divina quae hac ex
primitus appellatione. et ad tempus referri. Si velis dicere in quo tempore deus
fecit caelum et terram in exordio mundi quando fieri cepit. sicut ait sapien
tia. Cum pararet caelum cum illo eram. Ad numerum autem si referas.
ita convenit ut accipias. In primis fecit caelum et terram deinde colles.
regiones. fines inhabitabiles. Vel sic. Ante reliquas visibiles creaturas.
diem noctem. ligna fructifera. animantium genera diversa. caelum
et terram fecit. Sive ad fundamentum referas. principium terrae fundamen
tum esse legisti. dicente sapientia. Quando fortia faciebat fun
damenta terrae. eram penes illum disponens. Est et bonae principium discipli
nae. sicut est illud. Initium sapientiae timor domini. Qui timet dominum.
declinat errorem. et ad virtutis semitas vias suas dirigit. Nisi
enim quis timuerit dominum. non potest renuntiare peccato. Quod aeque et de illo
possumus accipere. Mensis hic initium mensium erit vobis. quamvis et de tempore
istud accipiatur. quia de pascha domini loquebatur. quod vere initio celebratur.
In hoc ergo principio mensium. caelum et terram fecit. quia inde mundi capi oporte
bat exordium. ubi erat oportuna omnibus verna temperies. Unde et anni
mundi ymaginem nascentis expressit. ut post hybernas glacies
atque hiemales caligines serenior solito verni temporis splendore
luceat. Dedit ergo formam futuris annorum curriculis mundi
primus exortus. ut ea lege annorum vices surgerent. atque initio cuiusque
anni produceret terra nova seminum germina. sicut prima dominus deus
dixerat. Germinet terra herbam feni. seminantem semen secundum genus et secundum
similitudinem. et lignum fructiferum faciens fructum. Et statim